

13. "Quo spiritu hoc officium, seu 'episcope' (cfr. 1 Tim. 3:1) sit gerendum, declarat Oecumenica Synodus Vaticana II dicens:

Munus autem illud quod Dominus pastoribus populi sui commisit, verum est servitium, quod in sacris Litteris 'diaconia' seu ministerium significanter nuncupatur (cfr. Act. 1:17 et 25:21, 19; Rom. 11,13; I Tim. 1:12)

(Lumen Gentium n.24)

Episcopus visibilis principium et fundamentum unitatis in ecclesia particulari sibi commissa exstat, necnon nexus hierarchiae communionis inter hanc et Ecclesiam universalem.

Ab ipsis apostolico ministerio pendet et regitur exercitium ceterorum sanctorum ministeriorum in ecclesia particulari.

Est ergo Episcopus minister qui in Ecclesia, communitate salutis, singulari et adspectabili modo praesentem ac perpetuam facit Christi missionem, partes sustinens ipsius Christi Magisteri, Pastoris et Pontificis, et in eius persona agens.

14. Episcopus, uti Ecclesiae membrum et munere capitum ac pastoris fungens populi christiani, in se componere debet formam fratris simul et patris, Christi discipuli et fidei magistri, Ecclesiae filii et quodammodo patris, quippe qui supernaturalis christianorum regenerationis sit minister (cf. 1 Cor. 4:15).

15. Duplex haec indoles ortum dicit, hinc quidem ex Baptismo et Confirmatione, quibus Episcopus cum ceteris de Populo Dei sacerdotium fidelium commune participat, illinc vero ex plenitudine sacramenti Ordinis, cuius virtute ipse sacerdotium ministeriale seu hierarchicum, ab altero sacerdotio essentia et non gradu tantum differens, participat uti vicarius seu vices gerens Christi ad efformandam et regendam plebem Dei.

Episcoporum enim est verbum Dei cum auctoritate docere et testificari, fideliter custodire, authentice interpretari; cultui christiano in persona Christi praeesse et mysteria Dei dispensare; ecclesias particulares congregare et regere; adiutores in sacro ministerio sibi cooptare et moderari; iudicium ferre de charismatum bonitate et ordinato exercitio. Etenim per Spiritum Sanctum qui datus est eis per episcopalem ordinationem, 'veri et authentici effecti sunt fidei Magistri, Pontifices ac Pastores' (Christus Dominus n.2)

16. Sacri ministerii summa cumulatus, Episcopus Christi praesentis in Ecclesia vivens est signum, testimonium reddens de Verbo Dei eiusque vitam communicans per sacramenta; itemque signum est Ecclesiae praesentis in mundo, mystici Corporis Christi

"membra praecedens in opere redemptionis et salutis omnibus et
salutis omnibus christifidelibus in eodem mundo explenda.

17. Vi sacramentalis consecrationis et hierarchica communione cum Collegii episcopalnis Capite atque membris, Episcopus arcte cum Ecclesia coniungitur et quasi mystice copulatur, cuius 'sponsus', ad similitudinem Christi, merito nuncupatur. Cum enim ad eum pertineat ceteros ministros ordinare divinisque officiis mancipare, et ecclesiam particularem per Evangelium et Eucharistiam in Spiritu Sancto congregare, Episcopus visibilem imaginem Christi Ecclesiam sibi desponsantis specialiter refert.
18. Episcopus, gravia munera gerens magistri et sacerdotis et pastoris in assignata sibi dominici gregis parte, cooperazione totius communitatis indiget: non tantum, etsi principaliiter, presbyterorum et diaconorum qui, per sacramentum Ordinis ab Episcopo collatum, sacerdotii hierarchici vel sacri ministerii participes facti sunt, sed etiam ceterorum christifidelium. Hi, enim, vi sacerdotii communis, vocantur et ad participandum communem apostolatum in Ecclesia et ad gravem cooperationem, sub moderamine vel etiam auctoritate Episcoporum, pastoribus exhibendam, quorum hierarchicus apostolatus sine ea plenum suum effectum assequi plerumque nequit.
19. Ob sacerdotii hierarchici plenitudinem et peculiarem cum Christo Capite communionem, Episcopus urgetur officio sese exhibendi tamquam 'perfectorem' gregis sui, ut scilicet clericis, religiosis et laicis magister ipse, promotor et exemplar christianae perfectionis, secundum suam cuiusque peculiarem vocationem, in caritate, humilitate et vitae simplicitate exstet.

Haec ei additur causa ut sanctiorem in dies agendi rationem exquirat, atque adeo ipsum episcopale ministerium, humiliter et fortiter adimpletum, ei, Sancti Spiritus ductui oboediens, praecelsum sanctificationis medium fiat.
20. Indoles pastoralis muneris apostolici Episcopi eiusque ministerium verbi et gratiae Dei, a saecularibus formis suapte natura adhorrentia, plane demonstrant, praesertim in hodiernis rerum socialium et religiosarum adiunctis, spirituale et ecclesiale esse eius officium et operam, ipsumque verum servum Dei et servum servorum Dei ad imaginem Summi Sacerdotis clarissim ostendunt.